



FRAGMENTUM

Quod in veteri codice Ecclesie trevensis continente collectiones Cresconii & Ferrandi repertum est, cum titulo hinc affixo.

EX EPISTOLA AD CLASSICIANUM
qui excommunicatus fuerat.

Ego propter eos, qui pro peccato unius animæ, totam domum ejus, id est, plurimas animas anathemate ligant, maximè ne ibi quisquam sine baptismo de corpore abscedat; & utrùm non etiam de Ecclesia pellendi sunt, qui eò confugiunt quò fidem fidejussoribus frangant, adjuvante Domino, & in concilio nostro agere cupio, & si opus fuerit ad sedem apostolicam scribere; ut in his causis quid sequi debeamus, concordiam omnium auctoritate constituatur, atque firmetur. * Illud planè non temere dixerim, quòd si quisquam fidelium fuerit anathematus injustè, ei potius oberit qui faciet, quàm ei qui hanc patietur injuriam. Spiritus enim sanctus habitans in sanctis, per quem quisque ligatur aut solvitur, immeritam nulli pœnam ingerit: per eum quippe diffunditur caritas in cordibus nostris, quæ non agit perperam.

* Habent
Ansel. Luc.
lib. 12. c.
66. & Gra-
rian. caus.
II. q. 3.
c. 87.

EPIS-



EPISTOLA XXI.*

Augustinus in presbyterum hipponensem ordinatus, præsertim ad dispensandum verbum Dei, secumque reputans, quàm difficile sit sacerdotem pium agere, obsecrat Valerium ut patiatur ipsum in secessu precibus & studio hoc agere, ut sit idoneus imposito muneri.

* Aliàs
CXLVIII.
quæ autem
21. erat,
nunc 234.

Domino beatissimo & venerabili, in conspectu Domini sincera caritate carissimo patri VALERIO episcopo, AUGUSTINUS presbyter in Domino salutem.

I. ANTE omnia peto, ut cogitet religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore * facilius & lætius, & hominibus acceptabilius episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, si perfunctoriè atque adulatoriè res agatur: sed nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius. Item nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio: sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur quo noster imperator jubet. Quis autem iste sit modus, nec à pueritia, nec ab adolescentia mea didici: & eo tempore quo discere cœperam, vis mihi facta est, merito peccatorum meorum (nam quid aliud existimem nescio) ut secundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noveram.

Scripta
ann. incun-
te 391.
* Fortè
felicitis.

Episco-
pi officium
quàm pe-
riculosum.

Sed

2. Sed arbitror Dominum meum propterea me sic emendare voluisse, quod multorum peccata nautarum, antequam expertus essem quid illic agitur, quasi doctior & melior reprehendere audebam. Itaque postquam missus sum in medium, tunc sentire coepi temeritates reprehensionum mearum: quamquam & antea periculosissimum iudicarem hoc ministerium. Et hinc erant lacrymæ illæ, quas me fundere in civitate ordinationis meæ tempore nonnulli fratres animadverterunt; & nescientes causas doloris mei, quibus potuerunt sermonibus, qui omnino ad vulnus meum non pertinerent, tamen bono animo consolati sunt. Sed multò valdè ac multò amplius expertus sum, quàm putabam: non quia novos aliquos fluctus aut tempestates vidi, quas antè non noveram, vel non audieram, vel non legeram, vel non cogitaveram: sed ad eas evitandas aut perferendas solertiam & vires meas omnino non noveram, & alicujus momenti arbitrabar. Dominus autem irrisit me, & rebus ipsis ostendere voluit me ipsum mihi.

3. Quod si non damnando, sed miserando fecit, hoc enim spero certè vel nunc cognitâ ægritudine meâ, debeo Scripturarum ejus medicamenta omnia perscrutari, & orando ac legendo agere, ut idonea valetudo animæ meæ, ad tam periculosa negotia tribuatur: quod antè non feci, quia & tempus non habui. Tunc enim ordinatus sum, quum de ipso vacationis tempore ad cognoscendas divinas Scripturas cogitarem, & sic nos dispo-
nere vellemus, ut nobis otium ad hoc negotium posset esse. Et quod verum est, nondum sciebam quid mihi deesset ad tale opus, quale me nunc torquet & conterit. Quòd si
prop-

propterea in re ipsa didici quid sit homini necessarium, qui populo ministrat sacramentum & verbum Dei, ut jam non mihi liceat assequi, quod me non habere cognovi; jubes ergo ut peream, pater Valeri? Ubi est caritas tua? Certè diligis me? Certè diligis ipsam Ecclesiam, cui me sic ministrare voluisti? * Et tamen certus sum quòd & me & ipsam diligis. Sed putas me idoneum, cum ego meliùs me noverim, qui tamen nec ipse me nossem, nisi experiendo didicissem.

4. Sed dicit fortasse sanctitas tua: Vellem scire quid desit instructioni tuæ. Tam multa autem sunt, ut faciliùs possim enumerare quæ habeam, quàm quæ habere desidero. Auderem enim dicere, scire me, & plena fide retinere, quid pertineat ad salutem nostram. Sed hoc ipsum quomodo ministrem ad salutem aliorum, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant? Et sunt fortasse aliqua, imò non est dubitandum esse in sanctis libris conscripta consilia, quibus cognitis & apprehensis possit homo Dei rebus ecclesiasticis a ordinationibus ministrare, aut certè inter manus iniquorum vel vivere conscientia saniore, vel mori, ut illa vita non amittatur, cui uni christiana corda humilia & mansueta suspirant. Quomodo autem hoc fieri potest, nisi quemadmodum ipse Dominus dicit, petendo, quærendo, pulsando, id est, orando, legendo, plangendo? Ad quod negotium mihi parvum tempus velut

* Dubois legit etiam cum punct. Interrog. diligis me?... & voluisti? At in prima edit 1679. legitur absque illo.

a Ita Lov. At Er. & MS. Gemer. habent, & ordinationibus. Bad. & plerique MSS. absque conjunctione, ecclesiasticis ordinationibus.

lut usque ad Pascha impetrare volui per fratres à tua sincerissima & venerabili caritate, & nunc per has preces volo.

5. Quid enim, responsurus sum Domino judici: Non poteram ista jam quærere, cum ecclesiasticis negotiis impediret? Si ergo mihi dicat: Serve nequam, si villa ecclesiæ calamiosum aliquem pateretur, cujus fructibus colligendis magna opera impenditur, neglecto agro quem rigavi sanguine meo, si quid agere pro ea posses apud judicem terræ, nonne omnibus consentientibus, nonnullis etiam jubentibus & cogentibus, pergeres, & si contra te judicaretur, etiam trans mare proficisceris; atque hoc modo vel annum, vel eo amplius absentiam tuam nulla querella revocaret, ne alius possideret terram, non animæ, sed corpori pauperum necessariam: quorum tamen famem vivæ arbores meæ multo facilius mihi que gratius, si diligenter colerentur, explerent? Cur ergo ad descendam agriculturam meam vacationem temporis tibi defuisse caussaris? Dic mihi quid respondeam, rogo te? An fortè, vis, dicam: Senex Valerius dum me omnibus rebus instructum esse credidisset, quanto amplius me dilexit, tanto minus ista discere permisit?

6. Adtende omnia ista, senex Valeri, obsecro te per bonitatem & severitatem Christi, per misericordiam & iudicium ejus, per eum qui tantam tibi inspiravit erga nos caritatem, ut ne te, nec pro lucro animæ nostræ, audeamus offendere. Sic autem mihi Deum & Christum testem facis innocentiae & caritatis, & sinceri affectus quem circa nos habes, quasi ego non de his jurare omnibus possim. Ipsam ergo caritatem & affectum imploro, ut mi-

se-

serearis mei, & concedas mihi, ad hoc quod rogavi, tempus quantum rogavi, atque adjuves me orationibus tuis, ut non sit inane desiderium meum, nec infructuosa Ecclesiæ Christi atque utilitati fratrum & conservorum meorum absentia mea. Scio quòd illam caritatem pro me orantem, maximè in tali causa, non despiciet Dominus, & eam sicut sacrificium suavitatis accipiens, fortassis breviori tempore quàm postulavi. me saluberrimis consiliis de Scripturis suis reddet instructum.



EPISTOLA LXIX. *

Alypius & Augustinus Castorio, ipsum hortantes ut in episcopatu vaginensis ecclesiæ Maximiano fratri suo gloriose cederenti succedat.

Domino meritò dilectissimo, dignèque honorabili & suscipiendo filio CASTORIO, ALYPIUS & AUGUSTINUS in Domino salutem.

I. **M**olitus est quidem adversarius christianorum, per carissimum atque dulcissimum filium nostrum fratrem tuum, catholicæ matri, quæ vos in hereditatem Christi ab exheredata præcisione fugientes pio sinu suscepit, periculosissimum scandalum commovere: cupiens videlicet serenitatem gaudii nostri, quæ nobis de bono vestræ conversionis oborta est, fœdâ innubilare tristitiâ. Sed Dominus Deus noster misericors & miserator, consolans af-

flic-

* *Alias*
CCXXXVIII.
quæ autem
69. *erat,*
nunc 249.

Scripta
exeunte an.
402.

fictos, nutriens parvulos, curans infirmos, ad hoc eum aliquid posse permisit, ut rem correctam multo amplius lætaremur, quàm dolebamus afflictam. Longe est quippe gloriosius episcopatus sarcinam propter Ecclesiæ vitanda pericula deposuisse, quàm propter regenda gubernacula suscepisse. Ille quippe se honorem, si pacis ratio pateretur, dignè accipere potuisse demonstrat, qui acceptum non defendit indignè. Voluit ergo Deus, etiam per fratrem tuum, filium nostrum Maximianum, ostendere inimicis Ecclesiæ suæ, esse in visceribus ejus, qui non sua quarant, sed quæ Jesu Christi. Neque enim illud ministerium dispensationis mysteryorum Dei, victus aliquâ sæculari cupiditate deseruit, sed pacificâ permotus pietate deposuit, ne propter ejus honorem fœda & periculosa, aut fortasse etiam perniciosa in membris Christi dissensio nasceretur. Quid enim esset cæcius, & omni execratione dignius, quàm propter Ecclesiæ catholicæ pacem schisma deserere, & ipsam pacem catholicam honoris sui quæstione turbare? Quid enim laudabilius, & christianæ caritati commodatius, quàm derelictâ donatistarum vesanâ superbiâ, ita hereditati Christi cohærere, ut testimonium humilitatis, amore probaretur unitatis? Itaque quantum ad ipsum adinet, sicut eum gaudemus talem inventum, ut quod in ejus corde divinus sermo ædificavit, nequaquam tempestas hujus tentationis everteret: sic optamus & deprecamur à Domino, ut consequenti vita & moribus suis magis magisque declaret, quàm bene gesturus fuisset, quod profectò gereret, si hoc oportuisset. Retribuatur ei pax æterna, quæ promissa est Ecclesiæ, qui in-

intellexit sibi non expedire, quod paci non expediebat Ecclesiæ.

2. Tu verò, fili carissime, non mediocre gaudium nostrum, qui nullâ tali necessitate suscipiendo episcopatu impediris, decet indolem tuam Christo in te dicare quod dedit. Ingenium quippe tuum, prudentia, eloquentia, gravitas, sobrietas, & cetera quibus ornantur mores tui, dona sunt Dei. Cui melius serviunt, quàm ei à quo tributa sunt, ut & custodiantur, & augeantur, & perficiantur, & remunerentur? Non serviant huic sæculo, nè vanescant cum illo atque dispereant. Non diu tecum in hoc agendum novimus, quanta facilitate consideres spes inanium hominum, & insatiabiles cupiditates, & incertam vitam. Abjice igitur ex animo quidquid terrenæ atque falsæ felicitatis exspectatione conceperat: operare in agro Dei, ubi certus est fructus, ubi tam multa tanto antè completa sunt promissa, ut ea quæ restant insanissimè desperentur. Obsecramus te per Christi divinitatem & humanitatem, per pacem cælestis illius civitatis, unde peregrinantes labore temporali æternam requiem comparamus, ut in episcopatu a vaginensis Ecclesiæ fratri tuo, non ignominiosè cadenti, sed gloriosè cedenti, succ-

a Sic in MSS. Vaticanis & Gallicanis. Attamen legendum aliqui putant, *Bagaiensis*: tum quia sic legitur apud Milevitanum concilium anni 402. in canone edito super hac ipsa Maximiani causa; tum quia hunc esse unum eundemque volunt cum Maximiano bagaiensi, quem vulneratum graviter à donatistis & de excelsa turri præcipitatum fuisse prodit Augustinus in lib. 3. *Cont. Crescon.* c. 43. Porrò MSS. hoc & illo loco necnon in epist. 88. & 185. ubi de eadem Maximiani cæde agitur, consideratis, plurimam discrepantiam reperimus, quam annotabimus suis locis.

cedas. Plebs illa, cui per tuam mentem ac linguam donis Dei fecundatam & ornatam uberissima incrementa speramus, in te intelligat fratrem tuum non pro sua desidia, sed pro ejus pace fecisse quod fecit. Hæc epistola, mandavimus, ut tibi non legeretur, nisi cum te jam tenerent quibus es necessarius. Nos enim te spiritualis amoris vinculo tenemus, quia & nostro collegio multum es necessarius. Cur autem etiam corporalem præsentiam non exhibuerimus, postea scies.



* SERMO CCCXCII.

* Aliis 49.
inter Homilias 50.
a

AD^a CONJUGATOS.

CAPUT I.
2. Cor. 5.
20.

Mulier curvata symbolum generis humani.

Luc. 13.
11.

Ps. 56. 7.

I. **A**postolum audivimus nobis dicentem: *Legatione fungimur pro Christo, exhortantes reconciliari Deo.* Non exhortaretur ut reconciliaremur, nisi inimici fuissetis. Ergo erat totus mundus inimicus Salvatori, amicus captivatori: hoc est, inimicus Deo, amicus diabolo. Et totum genus humanum, tamquam ista mulier, curvatum erat ad terram. Jam intelligens quidam inimicos istos, clamat adversus eos, & dicit Deo: *Curvaverunt*

a In MSS. libris homiliarum 50. inscribitur, *De muliere curva.* In Flori autem collectione ad 1. Cor. 7. appellatur *Sermo ad conjugatos*: sic etiam in vetustissimo MS. Phimarcronensi & aliis nonnullis, quibus in codicibus incipit ad isthæc verba, cap 2. *Audite, carissimi*; nec habentur quæ præcedunt de mulieris curvæ sanatione. Ex duobus saltem sermonibus unus iste conflatus est, cujus partes dubitare vix licet quin omnes pertineant ad Augustinum.

runt animam meam. Diabolus & Angeli ejus animas hominum curvaverunt ad terras, id est, ut pronæ in ea quæ temporalia sunt & terrena; superna non quærent. Nam utique hoc dicit Dominus de muliere ista, quam alligaverat sathanas, ecce, decem & octo annis: & jam oportebat eam solvi à vinculo suo, et solvi in die sabbati. Calumniabantur autem erigenti, qui, nisi curvi? Quando quidem et ipsa, quæ Deus præceperat, non intelligentes, terreno corde intuebantur. Sacramentum enim baptismi carnaliter celebrabant, spiritaliter non videbant.

2. **AUDITE**, carissimi, membra Christi, & matris catholicæ filii. Quod dico competentibus, audiant fideles: quod dico fidelibus, audiant competentes: quod dico competentibus & fidelibus, audiant poenitentes: quod dico fidelibus, & competentibus, & poenitentibus, audiant catechumeni: audiant omnes, omnes timeant, nemo contemnat. Sit mihi in consolationem vester auditus, ne sit vobis in testimonium dolor meus. Competentibus dico: Fornicari vobis non licet. Sufficiant vobis aut uxores, aut nec uxores: concubinas vobis habere non licet. Audiat Deus, si vos surdi estis; audiant Angeli ejus, si vos contemnitis. Concubinas vobis habere non licet. Et si non habetis uxores, non licet vobis habere concubinas, quas postea^a dimittatis, ut ducatis uxores; quanto magis damnatio vobis erit, si habere volueritis & concubinas & uxores^b? Non vobis licet habere uxores, quarum prior

TOM. V.

KK

res

a Sic omnes MSS. At editi, *quas postea ducatis uxores* omisso, *dimittatis ut.*

b Editi, & *uxores dimittatis.* Abest *dimittatis* à MSS.

CAPUT II.
Dist. 34.
Audite.

Concubinas habere non licet.

a

Nec maritatus uxores ducere.